

*Regeneravit nos in spem vivam  
per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis.*

Léctio Epístolæ primæ beāti Petri apóstoli

1, 3-9

- <sup>3</sup> **B**enedíctus Deus et Pater Dómini nostri Iesu Christi,  
qui secúndum magnam misericórdiam suam  
regenerávit nos in spem vivam  
per resurrectiónem Iesu Christi ex mórtuis,  
<sup>4</sup> in hereditátem incorruptíbilem  
et incontaminátam et immarcescíbilem,  
conservátam in cælis propter vos,  
<sup>5</sup> qui in virtúte Dei custodímmini per fidem in salútem,  
parátam revelári in témpore novíssimo.  
<sup>6</sup> In quo exsultátis,  
módicum nunc si opórtet contristáti  
in váriis tentatióibus,  
<sup>7</sup> ut probátio vestræ fidei  
multo pretiósior auro, quod perit,  
per ignem quidem probáto,  
inveniátur in laudem et glóriam et honórem  
in revelatióne Iesu Christi.  
<sup>8</sup> Quem cum non vidéritis, dilígitis;  
in quem nunc non vidéntes, credéntes autem,  
exsultátis lætítia inenarrábili et glorificáta,  
<sup>9</sup> reportántes finem fidei vestræ salútem animárum.

Verbum Dómini.